

## HORII CYLIND. CANONES.

quia tot horarum & minutarum (si quae sint) erit diei quantitas, quam si à 24, horis detraxeris, conflabitur remanentis noctis quantitas.

### Canon quartus, Horam planetariam per umbram Ciotheri à Sole docet.

Notetur finis umbræ Ciotheri inter lineas horarias rubro signatas, instrumento tamen ante ad locum Solis aptato, quia tunc umbra à stilo caufata, horam indicabit planetæ. Quota autem sit talis hora, ostendet numerus horarum in medio Cylindri signatus in linea æquatoris. Cuius autem planetæ sit talis hora, infra docebitur.

### Canon quintus, Horam planetæ absq; umbra Solis docet, etiam nocturnam.

Scito loco Solis in limbo inferiori huius instrumenti, compara eundem proportionaliter inter lineas horarias, quærendo horam cōmune æqualem, ad quam horam planetæ aues scire, qua habita: uide quæ hora inæqualis, uel quod spatiū horæ inæqualis concurrit cum loco Solis & hora communi æquali, quia talis hora inæqualis erit quam quærebas. In nocturna uero hora inuenienda, quærendus est gradus Solis oppositus huius diei, cuius horam quæreris, & patebit hora planetæ nocturna ex grada Solis opposito, & hora communi noctis. Hoc tamen notato, quod horæ ab 1. usq; in 6. sunt horæ ante medium noctis, reliquæ uero sex à 6. usq; ad 12. iterum ascendendo sunt post medium noctis. Sic pari uia in die primæ sex horæ in numero descendentes sunt ante meridiem, reliquæ uero 6. ascendendo ad duodecim sunt post meridem.

### Canon sextus, Altitudinem Solis inuestigare docet.

Voluatur cooperculum cum stilo, donec ipse stilos fit supra lineam & ordinem graduum altitudinis Solis. Postea suspendatur Cylindrum cum filo eum tenendo, ita quod Ciotherus umbram suam projicit directe ad puncta, siue gradus altitudinis Solis, quia finis huius umbræ altitudinem Solis qualibet hora ostendit.

### Canon septimus, Puncta umbræ uersæ inuenire quacunq; hora cupis notificat.

Vertetur Ciotherus siue stilos super lineam punctorum in Cylindro, & opposite Soli lucenti, ut prius suspenso instrumento, & umbra finis stili indicabit puncta umbræ uersæ quacunq; hora.

### Canon octauus, Puncta umbræ rectæ quacunq; hora uolueris insinuat.

Divide 144. per numerum punctorum umbræ uersæ, quæ per Cylindrum obseruasti, quia eius numerus quotiens ostendit puncta umbræ extensæ, siue rectæ eadem hora.

Canon